ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Perillustris domine,

Intellexi Illustrissimum patrum patriæ conscriptorum apud Britannos legatum Ioachimum nepoti ex filia suo præfectum quærere. Profecto non ita abjecti animi sum factus ut ambire velim quævis nomen pædagogicum, sed amplum mihi atq honorificum putem fore si spei tam bonæ, spei tam rectæ, erectæ, excitatæ ingenuæ indolis puero, qualem illum jam ante annos retro complusculos ab Ephoro tum suo prolixe audivi prædicari doctor ac manuductor admoverer. id ut mihi perficias qui apud Legatum potes omnia, in tua est manu, mi Mecœnas. Vehementer cupidum me hujus Spartæ reddit quod eadem opera et Angliam visere daretur, de cujus elegantijs tam multa te prædicantem audivi nonsemel, et alias deinde nationes ~~et~~ lustrare. intelligo enim illustrem puerum peregrinaturum, post moram in Anglis non ita longam. Nihil autem mallem, me si fata meis paterentur ducere vitam auspicijs et sponte mea producere, nummos si tam præsentes alibi cognoscere possem quam Ulyssis exemplo multorum hominum mores et urbes intueri. Iamdudum vel alienam sectari fortunam, vel fugientem meam persequi, vel, ut sapientes novam fabricare, quâ patet orbis. Meus agitat animus me tristi contenta quiete esse. Comoediam vitæ motoriam potius quam statariam hactenus hac ætate juvenili ad annos aliquot quoquo modo agere in votis habere profiteor, et in potissima habiturum parte felicitatis. Licet autem de integro te obtundo indulgentissime Mecœnas; occido sæpe rogando. Bevervverde Dominum Legatum in Hispanias destinatum, filium vero ejus natu maximum in Gallias iturum affirmarunt mihi qui se id certo scire arbitrantur. quid si ergo vel filio duxq comesq viæ sim et studiorum moderator, vel patri inter clientes honesto loco adscribar? puta si sim ei ab Epistolis, quibus profecto ubi Belgicis ubi Latinis opus esse puto me non [redacted] Scythice scribere Lydium Barbarum. Sin Gallica poscerentur, deerem operam veretas te rei ipse, qui jamnunc moderaverit

Hug. 37.

Verdenizem, ut priusquam in Hispaniam esset delatus heros excellentissimus, in toto ministrorum exercitu nullus me uno parlaret Gallus Gallacior. Sed haec hactenus, me autem et mea omnia favori ac amori tuo constanti commendo

Alcmariae Cal. Mart. CIↃIↃCXLVIII.

Perillustris domine

tuus omni nomine ac obsequio

Bruno.

Misit mihi heri Leida Ioannes quidam sine nomine, neque nota manu Laur. Theriantropologiam, quam nescio an videris. De patris valetudine si quaeris, sine adeo in re tam tristi iocari possem, dicerem me perpetuum Epithalamistam, tandem brevi geminum Epithalamium meditari debere, alterum ferale funestum Patri meo atque aquae intercuti, alterum inauspicatum militem atque [illegible] pernicie, quae lectum meum vetustum vel invito, post exsequias patris invadet.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 94
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4765

Mijn Heer

Mijn Heer van Zuijlichem, Ridder

Raedt en Secretaris van Sijn Hoogheyt.

In 's Gravenhage

Port.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 94
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4765